



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 11. An Regulares egent approbatione Ordinarii ad audiendas
Confessionem suorum famulorum sæcularium?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Q. 11. *An Regulares egent approbatione Ordinarii ad audiendas Confessiones suorum famulorum secularium?*

Resp. Clemens X. constit. cit. declaravit: *In Monasteriis ac etiam Collegiis, ubi juxta instituta regularia vivitur, posse tam Praelatos Regulares, quam Confessores Regularium eorumdem Monasteriorum seu Collegiorum, audire Confessiones illorum Secularium, qui inibi sunt de familia, & continui commensales; non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt.*

Q. 12. *An approbatio semel data, etiam sine limitatione temporis, validè revocari potest etiam sine justa causa?*

Resp. Aff. Nam nullo jure talis revocatio irritatur. Quòd si ad tempus limitatum data fuit approbatio, cessat statim per se exacto termino: nam approbatio durare nequit ultra tempus praescriptum ab eo, à cujus voluntate pendet: hinc novâ opus est.

Q. 13. *An Episcopus potest validè limitare approbationem, quoad tempus, locum & personas?*

Resp. Aff. Constat 1. Ex praxi quotidiana.
2. Oppositum damnavit, Alex. VII. an. 1659.
3. Quia habens approbationem etsi injustè restrictam ad tempus, locum, vel personas, revera caret approbatione pro alio tempore, loco, & pro aliis personis: unde non potest validè.